

DE ESSENTIA ET MINISTRO SACRÆ MISSÆ. 541
cum aliud sit positivè non integrum conficere &
aliud imperfectum relinquere sacrificium.

DISPUTATIO XXVII.

De Effectibus, Fructibus & Defectibus Missæ.

Bona, quæ per sacrificium Missæ obtinentur,
colligi possunt ex fine, ad quem sacrificium
offertur, secundum quem est simul Latreuticum,
Eucharisticum, propitiatorium & impetratorium,
Latreuticum est sive honorarium & exhibitivum
cultus divini, in quantum Deo per illud exhibetur
supremus cultus, qui major est in sacrificio Missæ,
quàm unquã fuerit in alio sacrificio, tum ex qualitate
victimæ, quæ est persona infinita, tum ex qualitate
offerentis, quia persona offerens principalis est in-
finitæ dignitatis, tum ex modo offerendi: quia
offertur commemorando & representando sacrifi-
cium crucis. Eucharisticum seu in gratiarum actio-
nem est, quia per hoc sacrificium recognoscitur
Deus, ut primum principium & ultimus finis, &
Deo ipso facto exhibet sacrificans gratiarum actio-
nem pro beneficio creationis, redemptionis &c. est
propitiatorium, quia per illud remittuntur culpæ
& pœnæ peccatis debitæ, est denique impetratori-
um, quia per illud impetrantur à Deo varia dona &
beneficia.

Q U Æ S T I O I.

An Sacrificium Missæ sit valoris infiniti?

Nota. Valoris nomine intelligitur moralis illa
dignitas & æstimabilitas, quam sortitur sa-
crifi-

sacrificium tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ, fructus verò sacrificii est effectus, qui illius valoris intuitu confertur.

Suppono 1. Quod valor sacrificii cruenti fuerit infinitus quoad sufficientiam & in actu primo, quia erat infinita satisfactio impetratoria omnis boni gratiæ & gloriæ respectu omnium omni tempore existentium imò etiam possibilium hominum ex infinita dignitate hostiæ & offerentis principalis, ideoque etiam sacrificium Eucharisticum, quod est idem cum sacrificio crucis tam quoad hostiam oblatam, quam quoad principalem offerentem, habet valorem infinitum, quoad sufficientiam, sed quaeritur hic: an etiam habeat valorem infinitum in actu secundo & quoad efficaciam?

Suppono 2. Quod valor sacrificii possit intelligi in actu secundo esse infinitus dupliciter 1. intensivè, ita ut quolibet sacrificio posset deleri quæcunque pœna major & major in infinitum, & impetrari quodcumque bonum majus & majus in infinitum. 2. extensivè, ita ut licet fructus sacrificii intensivè sit finitus & limitatus, æqualiter tamen se extendat ad quoscunque participantes plures & plures in infinitum, ut omnes, pro quibus offertur hoc sacrificium, quantumcunque sint plures & plures, semper tamen omnes æqualem fructum participant.

DICO: *Sicut passio Christi prodest omnibus quantum ad sufficientiam & ad remissionem culpæ & ademptionem gratiæ & gloriæ... ita & hoc sacrificium... in pluribus Missis multiplicatur sacrificii oblatio, & ideo multiplicatur effectus sacrificii. S. Th. hic Q. 79. a. 7. ad 2. & 3.*

Explico: Valor & fructus tam satisfactorius quam impetratorius non est intensivè infinitus, fructus tamen sacrificii & generalis Ecclesiæ, & specialis

DE E
lis con
omnes
sæ affi
& plu
qualite
rialis, q
infinit
magis
sacrific
tantum
Pr
stia ob
ad suff
offeren
nirè de
ficium
afficiat
tiam p
& vol
ctum i
stituit
sit ad
minar
pensac
tius &
Ecclesi
runtur
esset it
sit, un
ririt, i
serenit
valor C
cunque
infallit
Secu

lis concurrentium est extensivè infinitus, adeò ut omnes fideles capaces vivi & defuncti, omnes Missæ assistentes & cooperantes quotquot sint plures & plures in infinitum, ex eo fructu participant æqualiter ex opere operato, fructus tamen ministerialis, quem sacerdos applicat certis personis, non est infinitus extensivè, sed quo pluribus applicatur, eò magis minuitur in singulis, ità nempe, ut si unum sacrificium applicetur uni, aliud duobus, hi duo tantùm dimidias portiones participant.

Prima Pars Conclusionis probatur: Licet ipsa hostia oblata Christus sit infiniti valoris & meriti quoad sufficientiam & actum primum, & principalis offerens Christus ob unionem hypostaticam sit infinite dignus, & Deo gratus, ac ideò per hoc sacrificium Deus quodammodo cultu & honore infinito afficiatur; tamen quoad actum secundum & potentiam proximam, quam habet ex Christi institutione & voluntate non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed limitatum; quia Christus instituit & voluit, ut hoc sacrificium offeratur & prosit ad finitum tantùm & certum effectum a se determinandum, & juxtà dispositionem offerentium dispensandum, ut ideò hoc sacrificium tanto frequentius & ferventius offeratur, quod constat ex praxi Ecclesiæ, juxtà quam praxin pro eadem causa offeruntur plura sacrificia; si autem valor satisfactorius esset infinitus, ut quamcunque pœnam delere possit, unicum sacrificium totum purgatorium exhauriret, item pro eadem re impetranda v.g. sanitate, serenitate aeris multiplicarentur sacrificia, si autem valor sacrificii esset infinite impetratorius, quodcunque bonum majus & majus in infinitum certò & infallibiliter unico sacrificio impetraretur,

Secunda Pars probatur: Hæc est communis fidelium

lium

l.
ex parte rei
is, qui il-

enti fuerit
mo, quia
nts boni
tempore
tuum ex
ncipalis,
quod est
tam ob-
m, ha-
um, sed
nfitum

intelligi
intensi-
quacun-
impetrari
infinitum.
i intensivè
te extendat
lures in in-
hoc sacrifi-
res, semper
ent.

inibus quan-
ulpa & dep-
ficium...
latio, & ludo
ic Q. 79. 27.

satisfactorius
infinitus, fru-
ctus, & specia-
lis

lium persuasio, si plures Missam audiendo Deo sacrificium offerant, non minorem ex eo fructum referre singulos, quam si soli essent, quia enim privatae hujusmodi oblationes distinctæ sunt, ideo etiam iis distincti effectus correspondent, & alias sequeretur Christi fideles detrimentum pati in participatione fructus generalis crescente numero Christianorum, quibus omnibus intendit Ecclesia generalem fructum sacrificii eo usque applicare, quod absurdum est.

Ratio Tertiæ Partis est: Quia licet Christus Dominus sine dubio hoc sacrificium ita potuisset instituire, ut singulis, pro quibus offertur in persona Christi, certus & æqualis fructus obveniret, non minuendus multitudine participantium, quod ita tamen Christus de facto non instituerit, probat communis praxis: quisquis enim sacerdos, quando vult suum sacrificium singulariter prodesse alicui amico, offert illud pro illo solo, quod tamen non faceret, si crederet, illi uni amico nihil decedere, si ad participationem illius fructus plures advocarentur, item si una Missa tantum valeret pro uno applicata, quantum applicata pluribus, cur is qui multa sacra promisit, vel ad ea obligatur ex dato stipendio, fundatione, non potest omnibus satisfacere unâ Missâ? Deindè iniquus mos esset ut plures Missæ applicarentur uni defuncto, sed applicari deberent omnibus defunctis eâdem operâ æqualiter juvandis.

Denique cur tam solliciti sunt fideles, ut pro se missa in particulari applicetur, cum tamen non sint solliciti, ut ipsi soli Missam audiant. Nempè quia fructus ministerialis minuitur in consortio aliorum participantium, fructus autem generalis & specialis concurrentium ad sacrificium Missæ non minuitur ex consortio aliorum Missæ assistentium. Per

quam

DE
quam
speci
sacris
nito

Q
quam
specia
Missæ
quæ o
Portio
pro qu
lam o
Ra
crific
& ipsi
mis l
feren
bet pa
Sacer
mine
public
in nor
tum f
fructu
non t
partic
assister
quem
camus

DE EFFECTIB. FRUCTIB. ET DEFECTIB. MISSÆ. 545
quam distinctionem conciliari possunt ea, quæ in
speciem videntur opposita, quomodo valor hujus
sacrificii sit infinitus, & tamen in actu secundo fi-
nito modo proficit.

Q U Æ S T I O II.

*An, qui & quibus possit applicari fructus
Sacrificii?*

QUadruplex portio fructuum hujus Sacrificii à
Theologis assignatur 1. generalis portio,
quam percipit tota Ecclesia ex sacrificio Missæ. 2.
specialis portio, quam obtinent omnes, qui sacrificio
Missæ devotè interfunt. 3. Specialissima portio,
quæ obvenit ipsi sacerdoti sacrificio offerenti. 4.
Portio ministerialis, quam accipiunt ille vel illi,
pro quo vel quibus sacerdos Missam celebrans il-
lam offert & applicat.

Ratio hujus divisionis est, quia sicut quodlibet sa-
crificium, ita etiam sacrificium Missæ debet prodesse
& ipsi offerenti & iis pro quibus offertur; sed im-
primis sacerdos ut minister Christi est immediatus of-
ferens, ideoque fructum aliquem ex hoc sacrificio de-
bet participare, & ille est specialissimus fructus. 2dò,
Sacerdos non est minister privatus suo tantum no-
mine in persona Christi offerens, sed est minister
publicus Ecclesiæ, semper enim celebrat & offert
in nomine totius Ecclesiæ, & sic sacrificium obla-
tum fructum confert toti Ecclesiæ, quæ portio est
fructus generalis. 3tò, quia unà cum sacerdote
non tantum tota Ecclesia generaliter, sed etiam
particulariter & personaliter coofferunt sacrificio
assistentes & cooperantes ad illud, etiam hi ali-
quem fructum ex sacrificio participant, quem vo-
camus fructum specialem. Denique sacerdos ut mi-
nister

nister Christi offert sacrificium pro aliis vivis & defunctis in specie, ideoque illis fructum aliquem specialem applicat, quem vocamus ministerialem, quia à solo sacerdote ex speciali applicatione potest conferri.

DICO I. *Hoc Sacramentum.. habet... effectum sacrificii in eo, qui offert vel in his, pro quibus offertur.* S. Th. hic Q. 79. a. 5. O.

Probatur Ratione S. Th. hæc est differentia inter Eucharistiam, ut est Sacramentum & ut est sacrificium, quod in ratione Sacramenti pro fit solis fumentibus: quia Sacramentum est signum visibile institutum ad sanctificandum hominem, cui applicatur; sed ut sacrificium pro fit etiam aliis ab offerente, juxtà illud Apost. Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, que sunt ad Deum: id est, ut pro hominibus apud Deum interveniat: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis... & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Ergo fructus sacrificii non soli offerenti, sed & pro quibus offertur, si sint illius capaces, provenit;

Ex quibus sequitur I. quod sacrificium Missæ ex opere operato sit propitiatorium & impetratoriū pro omnibus fidelibus capacibus non excommunicatis tam vivis quàm defunctis, ac in iis causet fructum generalem. *Ratio est:* quia sacrificium Missæ est institutum, ut offeratur pro omnibus fidelibus, cum sit repræsentativum sacrificii crucis, non autem est repræsentativum & commemorativum illius, nisi offeratur, sicut oblatum est sacrificium crucis, adeoque nisi offeratur pro omnibus, prout verò offertur nomine Ecclesiæ, qui ad illam Ecclesiam pertinent, videlicet pro omnibus fidelibus, non autem pro omnibus omninò hominibus, sicut fuit oblatum

sacri-

DE
sacri
cium
nific
clesi
decla
cap.
verè
mini
bus,
Und
Eccle
immi
fructu
nit r
comr
tem t
stituit
blici
Eccle
Eccle
ralis
prou
in Ca
inten
potest
saltem
qui p
autho
fructu
sæ ve
lidè e
Sequ
Missæ
& cum
in Mis
Par

DE EFFECTIB. FRUCTIB. ET DEFECTIB. MISSÆ. §47
sacrificium crucis, nam Christus reliquit hoc sacrificium suæ sponſæ Ecclesiæ, illudque instituit in beneficium Ecclesiæ & non aliorum, nisi quatenus Ecclesia vult illis aliquem fructum communicare; ut declarat hunc fructum generalem Trid. sess. 22. cap. 6. dicens de Missis privatis: *Illæ quoque Missæ verè communes censerì debent; quod à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* Unde sacerdos hunc fructum generalem totius Ecclesiæ non posset saltem licitè aliter applicare, immutare, suspendere, vel aliquos fideles ab hoc fructu excludere: quia fructus ille generalis provenit non ex intentione privata ministri, sed ex communi intentione totius Ecclesiæ, sacerdos autem tenetur sacrificium offerre, sicut Christus instituit & intendit Ecclesia: est enim minister publicus Christi & Ecclesiæ; sed Christus instituit, & Ecclesia semper intendit sacrificium offerre pro tota Ecclesia seu omnibus fidelibus, ità ut fructus generalis profit omnibus membris vivis & defunctis, prout significant omnes orationes Missæ præsertim in Canone; ergo sacerdos verè & debitè celebrare intendens, fructum illum generalem Ecclesiæ non potest saltem licitè suspendere vel limitare. *Dico: saltem licitè*, quia aliqui volunt, quod sacerdos, qui principaliter est minister Christi, à quo habet auctoritatem applicandi fructum sacrificii, si totum fructum sacrificii etiam generalem debitum Ecclesiæ vellet alicui privato applicare, licet illicitè, validè esset facturus.

Sequitur 2. Quod fructum specialem ex sacrificio Missæ accipiant omnes concurrentes ad sacrificium & cum sacerdote illud offerentes & ii. pro quibus in Missa in Memento specialiter sacerdos orat. *Ra-*

tio est: Quia illi unum cum sacerdote offerente constituunt ac velut simul coofferunt, ergo aliquem etiam fructum ex opere operato tam satisfactorium quàm impetratorium participare debent; id enim omninò rationi, reverentiæ, devotioni & dignitati hujus sacrificii est consentaneum: si enim participant de fructu generali omnes fideles etiam de hoc sacrificio non cogitantes, aliquem fructum specialem accipient specialiter ad hoc sacrificium concurrentes.

Tales autem specialiter ad oblationem hujus sacrificii concurrentes ac veluti offerentes sacrificium specialiter & secundariò sunt omnes, qui aliquo modo peculiari sunt causa sacrificii, ut imprimis, qui sacrificium offerri curant, vel per fundationem vel per oblationem stipendii, tales enim per sacerdotem velut legatum suum sacrificant. Deinde qui subministrant necessaria ad Missam celebrandam, ut calicem, panem, vinum, paramenta &c. 3^{to}, Ministrantes sacro non tantùm Diaconus & Subdiaconus in Missa solemni, sed etiam ministri sacro privatim inservientes, quippè ad Missam celebrandam ab Ecclesia requisiti. 4^{to}, quotquot sacrificio corporaliter interfunt & assistunt religiosè cum reverentia & affectu sese cum sacerdote conjungentes ad colendum Deum hoc tremendo sacrificio; hosce simul cum sacerdote offerre sacrificium constat indè, quod sacerdos dicat: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat.* Item in Canone: *Omnium circumstantiam, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Denique specialiter ad hoc sacrificium concurrunt, qui licet corporaliter assistere nequeant, mente tamen & spiritualiter interfunt sacrificio sua vota conjungendo votis sacrificantium.

Hi omnes concurrentes & specialiter offerentes participant suum fructum specialem ex opere operato, licet sacerdos de iis non cogitet, nec aliquem fructum iis applicare intendat: quia sacerdos semper offert nomine totius Ecclesiæ & assistentium vel cooperantium, & solum pro fructu ministeriali ad libitum applicando expressa intentio sacerdotis requiritur. An autem hi offerentes secundarii v. g. audientes Missam possint hunc fructum suum specialem tam satisfactorium quàm impetratorium ex opere operato applicare & donare aliis, sicut alias suas satisfactiones, orationes & bona opera est incertum, sententia affirmans fundatur in illis verbis Canonis: *Qui tibi offerunt pro se suisque omnibus.*

Non decrevit fructus hic specialis per hoc, quod plures concurrant: quia singuli non minus offerunt, si cum multis concurrant, ac si essent soli, ut quia per diversam actionem ad sacrificium concurrunt, fructus ille æquè, cæteris paribus, participetur à singulis Missæ assistentibus vel cooperantibus sive pauci sint sive multi. *Dixi: cæteris paribus: quia tantò plus quis participat de fructu specialis portione, quantò immediatius, melius & efficacius ad sacrificium concurrat: plus enim fructus redundat in illum, qui v. g. calicem, quam qui velum calicis donavit; qui sacro ministrat solemniter, quàm qui sacrum audit, qui præsens interest, & devotè assistit, quàm qui absens vota sua cum offerente conjungit.*

Sequitur 3. Quod fructum tam satisfactorium quàm impetratorium specialissimum ex opere operato accipiat sacerdos sacrificium offerens. *Ratio est: Quia, si aliis improprie tantum & accessorie sacrificantibus correspondet suus fructus & portio specialis, multò magis ipsi sacerdoti in propria per-*

sona & propriè sacrificanti suus fructus specialissimus debet correspondere; sacerdos enim ità offert pro aliis sacrificium, ut simul offerat pro se, juxtà id Hebr. 5. *Debet* (intellige sacerdos) *sicut pro populo, ità etiam pro se ipso offerre pro peccatis; id etiam exprimit sacerdos, dum in oblatione panis dicit: Suscipe sancte Pater &c. quam offero pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentis meis.* Item in oblatione calicis per illa verba: *pro nostra & totius mundi salute;* Hic fructus meritò vocatur specialissimus; quia est major illo, qui aliis cooperantibus vel etiam curantibus pro se celebrari correspondet. Hunc fructum etiam sacerdos sacrificans accipit, licet ipse de hoc non cogitet, nec expressè acquirere intendat, quin etià licet accepto stipendio pro aliis celebret, quia fructus specialissimus percipitur ex natura sacrificii independenter à quacunque applicatione offerentis, eò quod ex natura sacrificii illud pro se sacerdos offerat; an autem sacerdos hunc fructum specialissimum aliis donare & applicare possit, est inter Theologos controversum. Negantes hoc fundamentum adducunt, quod sacerdos ex præscripto Ecclesiæ juxtà naturam sacrificii, ut publicus minister sacrificium pro se ipso offerat, adeòque non possit fructum suum specialissimum applicare, quia dum offert sacrificium pro se, illud sibi applicat, sibi autem applicatum non est alteri applicabile.

Sequitur 4. Quod fructum ministerialem acquirant illi, quibus sacerdos sacrificans illud ut minister Christi applicat, vi cujus applicationis ipsa sacrificium oblatum ex opere operato confert iis, pro quibus offertur, tam fructum satisfactorium pro peccatis debitis, quam impetratorium bonorum & beneficiorum tum spiritualium, tum temporalium, quo

D
pro
fruct
pro
idec
prop
fruct
supe
ster
appl
myst
dom
offer
D
mun
salu
E
plic
dos
I
Sac
Nor
faci
in
Apo
non
sat,
fruct
con
ri ne
ad st
func
pora
pecc
tem
sato

DE EFFECTIB. FRUCTIB. ET DEFECTIB. MISSÆ. 331
pro quibus impetrandis sacrificium offertur. Hic
fructus est simpliciter in potestate celebrantis, ut
pro libitu possit illum applicare vel sibi vel aliis,
ideoque, ut hic fructus obtineatur, necessaria est
propria applicatio sacerdotis celebrantis, adeo ut à
fructu hoc applicando non possit impediri, nec à
superiore, nec ab Ecclesia; quia illum non ut mini-
ster superioris vel Ecclesiæ, sed ut minister Christi
applicat, sacerdos enim minister publicus ad hoc
mysterium dispensandum à Christo est institutus,
dom in ordinatione sacerdotali accepit potestatem
offerendi sacrificium pro vivis & defunctis.

DICO 2. *Hoc Sacramentum... aliis qui non su-
munt, prodest per modum Sacrificii, inquantum pro
salute eorum offertur.* S. Th. hic Q. 79. a. 7. O.

*Explico: Fructus sacrificii, cujus sunt capaces, ap-
plicatur tum vivis tum defunctis, pro quibus sacer-
dos offerens format intentionem celebrandi.*

*Prima Pars probatur: Ex Trident. sess 22. de
Sacrif. Miss. Cap. 2. ubi de sacrificii fructibus ita:
Non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satis-
factionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis
in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè, juxta
Apostolorum traditionem offertur; Ergo in omnibus
non tantum vivis, sed etiam defunctis fructum cau-
sat, cujus sunt capaces, videlicet in viatoribus justis
fructum satisfactorium: quia fructus satisfactorius
consistit in remissione poenæ temporalis, sed illa fie-
ri non potest, nisi solis viatoribus justis, quales quo-
ad statum satisfactionis etiam censentur fideles de-
functi in purgatorio existentes: poena etiam tem-
poralis remitti non potest, nisi prius poena æterna
peccato mortali debita sit remissa & in poenam
temporalem commutata, sed hoc non est nisi pec-
cato mortali remisso; ergo viatoribus justis prodest*

M m 3

hoc

hoc sacrificium conferendo fructum satisfactorium; Verum quoad hunc fructum non potest applicari Beatis in cœlo, quibus nulla superest satisfactio; nec damnatis: quia in inferno nulla est redemptio, nec parvulis sine Baptismo defunctis: quia sunt in termino æternæ damnationis saltem quoad pœnam damni, nec iis, qui notoriè in statu peccati mortalis sunt mortui, pro quibus offerri non debet, ut continetur in Can. placuit, 12. *Caus. XXIII. q. 5. Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè aut per ferrum aut per venenum, aut per precipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat.* Nihilominus potest sacerdos in memento mortuorum vel etiam in formatione intentionis commendare animam illius v. g. qui se suspendit, sub conditione, si ex amentia fecit, qui in duello obiit, si fortè ante mortem pœnituit; qui in hæresi est mortuus, si fortè hæresis fuit purè materialis.

Quoad fructum impetratorium sacrificii: is applicari potest omnibus non damnatis, quia omnibus illis salutatis effectus per sacrificium impetrari potest: cum fructus impetratorius, licet intuitu sacrificii fiat, procedat ex sola libera Dei misericordia, non autem ex certa recipientis dispositione, sicut fructus satisfactorius, ideoque sacrificium ex opere operato prodesse potest omnibus, quibus aliquid à Deo impetrari potest, sive bonum aliquod temporale, sive spirituale, sed omnibus, exceptis damnatis, qui sunt in perpetuum inimici Dei, aliquid potest à Deo impetrari; ergo omnibus his fructus impetratorius applicari potest.

Ex hac ratione offerri potest Missa *in*ò, pro Beatis non tantùm ad finem laetæuticum, quatenus in sacrificio hoc in memoriam & honorem, ac nomine Sancto-

DE
San
ad fi
mus
etia
effe
tran
glor
terri
Bea
cola
infi
tum
sacr
cru
les
per
nen
hib
sec
pos
nil
su
de
tun
eti
acc
pro
cor
cor
trat
tier
cur
riis
fici
alic

Sanctorum Deum colimus cultu supremo patriæ, vel ad finem Eucharisticum, quatenus Deo gratias agimus pro donis, gratiis & gloria sanctis collata, sed etiam ad finem impetratorium non gloriæ alicujus essentialis vel accidentalis absolutæ in cælo impetrandæ: ibi enim jam sunt in termino, sed alicujus gloriæ accidentalis respectivæ impetrandæ hic in terris v. g. ut illorum cultus dilatetur, ut aliquis Beatus canonizetur & honore publico in Ecclesia colatur. 2^{dò}, potest offerri sacrificium Missæ pro infidelibus; quia sacrificium cruentum crucis oblatum est pro omnibus etiam infidelibus; ergo etiam sacrificium Missæ, quod est applicativum sacrificii crucis pro illis offerri potest, cujus fructum infideles participant, dum recipiunt illustrationes & supernaturales motiones in ordine ad conversionem. Nec Ecclesia pro infidelibus sacrificare prohibet, sed Apostolus 1. ad Timoth. 2. rogat: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, quem locum S. Aug. Epist. 59. ad Paulinum de oblatione sacrificii explicat, quare licet non tantum pro Turca vel Judæo petente celebrare, sed etiam ab ipsis, ut pro ipsis celebretur, stipendium accipere.* 3^{tiò}, potest, quantum est de se, seclusâ prohibitione Ecclesiæ, offerri sacrificium pro excommunicatis: Quia illud sacrificium potest excommunicatis prodesse quantum ad fructum impetratorium, ideoque cum post Concilium Constantiense non sit fidelibus prohibita communicatio cum excommunicatis non denunciatis & non notoriis percussoribus clericorum, potest sacerdos sacrificium offerre pro excommunicato non vitando v. g. aliquo Hæretico; Pro excommunicato autem vitando

do non potest sacrificium offerre, ut publicus minister Ecclesiæ, quia Ecclesia id expressè prohibet in Cap. sacris 38. de sent. excomm. lib. 5. tit. 39. privando excommunicatum omnibus communibus Ecclesiæ suffragiis, inter quæ præcipuum est sacrificium Missæ nomine Ecclesiæ oblatum. Attamen hoc non obstante, potest sacerdos ut privata persona sacrificium offerens illud excommunicato non tolerato applicare v. g. illius in Memento reminisci, non tamen per orationes seu collectas, quæ nomine Ecclesiæ dicuntur: quia Ecclesia solum privat suffragiis Ecclesiæ communibus seu publicis, adeòque tantum sacrificio quatenus offertur nomine Ecclesiæ. Hinc à contrario sacerdos potest fructum ministerialem applicare excommunicato denunciato: quia illum non applicat ut minister publicus Ecclesiæ, sed ut minister Christi; consultius autem est, ut sacerdos volens sacrificium offerre pro excommunicato non tolerato, ne contra præceptum Ecclesiæ, prohibentis communicare cum excommunicato, peccet, ità formet intentionem: volo pro illo offerre sacrificium omni meliori modo quo licet, & ipsum juvare potest.

Secunda Pars Conclusionis: Videlicet, quod sacrificium Missæ ex opere operato pro fit iis, pro quibus sacerdos format intentionem celebrandi, iisque fructum ministerialem applicandi. *Prodatur:* Sacerdos vi ordinationis suæ accepit potestatem offerendi sacrificium Missæ pro vivis & defunctis; ergo illis determinatè prodest, pro quibus sacerdos offert, sed pro illis offert, pro quibus celebrandi intentionem format, quibusque fructum ministerialem applicat; ergo illis determinatis personis prodest, quibus sacerdos sacrificium Missæ determinatè applicat, quia enim sacrificium Missæ est

DE
est in
etiam
autem
tur, (C
nem i
sacrifi
lius c
hoc v
dupli
expre
v. g. c
gener
sonan
ficium
injun
me cr
ex ali
tione
pro q
Es
ro ho
ex in
stat a
cerdo
ret for
pro il
Deus
Col
luntat
brat es
lius in
quo m
tamen
tem fu
pro qu

est institutum non tantum ad Deum colendum, sed etiam, ut offeratur pro hominibus & illis proficit, non autem sit determinatum, ut pro hoc vel illo offeratur, sed spectat ad offerentem determinare oblationem in favorem hujus vel illius; sicut enim oblatio sacrificii est sub ipsius dispositione, ita etiam sub illius dispositione est determinatio oblationis pro hoc vel illo tanquam quid accessorium oblationi; dupliciter autem potest fieri hæc determinatio vel expressè scilicet nominatim exprimendo personam v. g. offero hoc sacrificium pro Petro. Vel implicite generali termino & intentione determinando personam vel personas in particulari v. g. offero sacrificium pro illa persona, pro qua vult offerri superior injungens celebrationem, pro anima, quæ maxime cruciatur in purgatorio, vel si sacerdos obligatus ex aliqua fundatione celebrare formet hanc intentionem: volo celebrare pro illa vel illis animabus, pro quibus hodie est obligatio celebrandi.

Ex his colliges 1. Non valet hæc intentio: offero hoc sacrificium, ut Deus ipse applicare velit, quia ex institutione Christi applicatio sacrificii non spectat ad Deum, cui sacrificium offertur, sed ad sacerdotem offerentem, qui tamen revera applicaret formando hanc intentionem: Offero sacrificium pro illo, pro quo vult Deus me celebrare, vel cui Deus vult à me applicari sacrificium.

Colliges 2. Licet applicatio referri possit in voluntatem præsentem vel præteritam (nam qui celebrat ex onere suscepto applicat sacrificium juxta illius intentionem, qui aut dedit stipendium aut aliquo modo imposuit obligationem celebrandi) non tamen potest sacrificium referri in alienam voluntatem futuram, v. g. volo sacrificium offerre pro illo, pro quo superior cras me voluerit celebrare; quia

applicatio offerentis collata in alienam voluntatem futuram non est sufficiens determinare præsentem oblationem pro certa persona: quia respicit personam, quæ tunc non est certa, quando sacrificium offertur, sed cras certificanda est & determinanda.

Colliges 3. Valida est applicatio facta sub conditione de præsentem existente vel præterita jam impleta, ut offero pro hac anima, si est capax, si indiget, si ego sim obligatus pro illa celebrare, pro Petro si, ut audio, est mortuus vel infirmus: quia applicatio facta sub conditione impleta, transit in absolutam, invalida autem est applicatio sub conditione de futuro contingente: ut offero pro Petro, si ille hoc anno sit moriturus, si futurus Prælatas &c, ad hoc enim, ut applicatio sit valida, debet conditio existere pro tempore illo, in quo datur fructus beneficii; nam ad effectum tam sacrificii, quam Sacramentorum requiritur intentio absoluta & independens ab eventu contingente futuro. Quia sicut Deus nec punit, nec præmiat hominem nunc, propter opera ejus postea futura, ita nec fructum Sacramentorum aut sacrificii confert homini cum respectu & dependentiâ ad opus contingenter postea futurum.

Colliges 4. Quod non valeat applicatio: offero pro illo homine, quem Deus scit primum ex hac communitate esse moriturum, aut quem novit Deus crastinâ die mihi oblaturum stipendium, licet enim validè applicetur sacrificium sub conditione de præsentem existente, ut hic fit, conditio enim illa: quem Deus scit, jam existit: cum Deus de facto noverit omnia futura, quia tamen Deus gratiam Sacramentorum & fructum sacrificii non confert secundum præscientiam futurorum contingentium & liberorum eventuum, sed secundum præsentem duntaxat

DE E
dunta
dem i
tiæ &
creatu
candi
tra usu
intro
Q.
ut sacr
R.
haber
tentio
retra
tualis
candi
quod
ad h
rema
haber
actua
ut pa
post
cond
fortit
deter
impe
tione
ampl
mod
ctave
crifici
celeb
dum
tracta
O

duntaxat hominis statum, ac conditionem: siquidem id magis congruere videtur divinæ providentiæ & suavi gubernationi, quæ se naturis suarum creaturarum accommodat, ideo hæc praxis applicandi fructum sacrificii est invalida, & quia est contra usum Ecclesiæ & magnos abusus parere potest, si introduceretur, est illicita & ab Ecclesia damnata.

Q. I. Qualis debeat esse intentio applicandi, ut sacrificium proficit his, pro quibus offertur?

R. Ad applicandum fructum sacrificii sufficit habere intentionem habituales, id est habuisse intentionem applicandi sacrificium, quæ nondum sit retractata, non autem requiritur actualis vel virtualis; *Ratio est:* Quia intentio sacrificium applicandi non est aliud, quam voluntatis determinatio, quod fructus sacrificii obveniat tali personæ, sed ad hoc sufficit voluntas habitualis vel actualis remanens habitu; voluntas enim habitualis potest habere effectus determinatos per voluntatem actualem, quæ præcessit & nondum est retractata, ut passim patet in ultimis voluntatibus, quæ tantum post mortem sortiuntur effectum, in consensu sub conditione futura, qui solum adveniente conditione sortitur effectum, in donatione pro futuro tempore determinato; sicut ergo hodie possum tibi donare imperialem, si cras in tali loco fuero, quâ conditione impletâ res donata cras acquiritur, licet nihil amplius crastinâ die de donatione cogitem, dummodo hesternam voluntatem donandi non retractavero, ita possum tibi hodie fructum crastini sacrificii donare vel applicare, illoque crastinâ die celebrato fructus illius validè applicatus acquiritur, dummodo intereâ voluntatem applicandi non retractavero.

Obj. I. Applicare alicui sacrificium, est offerre
pro

pro aliquo sacrificium; sed non dicitur aliquis offerre sacrificium per solam voluntatem habitualem, quæ nullo modo, nec actu nec virtute sit causa offerendi; sicut enim non dicitur aliquis administrare vel conficere Sacramentum, nisi ipsa Sacramenti administratio vel confectio actu vel virtute à voluntate administrandi vel conficiendi dependeat, ita etiam non dicitur aliquis offerre sacrificium, nisi sit intentio offerendi sacrificium saltem virtualiter perseverans tempore sacrificii & in ipsam oblationem sacrificii influens.

R. Distinguendo Maj. Applicare alicui fructum sacrificii est pro illo sacrificium offerre effectivè N. applicativè Con. voluntas offerendi effectivè debet esse vel virtualiter vel formaliter, dum sit sacrificium, voluntas offerendi sacrificium applicativè vel voluntas donandi & applicandi fructum sacrificii huic potius quàm illi, non necessario est formaliter vel virtualiter, dum offertur sacrificium: applicatio enim habet rationem donationis, & idè semel facta retinet vim suam, usque dum revocetur, undè est disparitas inter voluntatem administrandi vel conficiendi Sacramenta, & voluntatem applicandi fructum sacrificii; voluntas quippè conficiendi Sacramentum est effectiva Sacramenti, idèque ad minus debet esse virtualis, at verò intentio applicandi fructum sacrificii non est effectiva fructus, sed ipsum sacrificium ritè oblatum confert fructum ex opere operato, ut constat, dum sacerdos nulli sacrificium applicat, adhuc sacrificium confert fructum proportionatum in thesauro Ecclesiæ reponendum, sed intentio applicandi est merè applicativa fructus à sacrificio causandi, ad quam meram applicationem sufficit intentio habitualis, id est actualis semel habita & non revocata.

Obj. 2.

De
O
fructu
brant
intelli
luntas
virtua
fertur
perfic
R.
seu co
cative
celebr
Col
actual
cium
consec
cit tan
celebr
Petri
perior
mes &
nis re
per in
tenda
nunqu
horum
tutum
idè qu
futuris
dos po
arbitric
tum a
Q.
andi f
R.

Obj. 2. Ipsa actualis applicatio seu collatio fructus debet intelligi procedere à voluntate celebrantis vel offerentis sacrificium, sed non potest intelligi procedere à voluntate celebrantis, nisi voluntas seu intentio applicandi fructum ad minus virtualiter existat tunc, quando re ipsâ fructus confertur, nempe in ipsa actuali consecratione, in qua perficitur essentialiter oblatio sacrificii.

R. Distinguendo Maj. Ipsa actualis applicatio seu collatio fructûs debet intelligi procedere applicativè à voluntate celebrantis Con. effectivè quasi celebrans efficiat fructum N.

Colliges : Licet valdè consultum sit intentionem actualem tam consecrandi quàm applicandi sacrificium in ipsa Missa formare, vel ante actualem consecrationem immediatè vel ab initio sacri, sufficit tamen & est valida applicatio, si sacrum cras celebrandum hodie intendas offerre pro anima v.g. Petri. Deinde, si vespere videns intentionem à superiore v. g. designatam, voluntatem tuam contormes & altero die celebres, nullum actum intentionis renovando. Denique, si quis sacra facienda per integram septimanam, mensem vel annum intendat offerre ad certam intentionem, licet illam nunquam renovet, dummodo non revocet. Ratio horum omnium est: quia hoc sacrificium est institutum, ut offeratur & applicetur humano modo; ideòque sicut homines disponere solent de rebus futuris, quæ erunt in sua potestate, sic etiam sacerdos potest disponere de suis sacrificiis futuris, cujus arbitrio & dispositioni Deus commisit sacrificii fructum applicandum.

Q. 2. Quando debeat formari intentio applicandi fructum sacrificii?

R. Intentio applicandi fructum sacrificii debet
neces.

liquis of-
itualem,
usa offe-
nistrare
amenti
volun-
t, ita
nisi sic
r per-
onem

fru-
fecti-
ective
fit sa-
pplica-
um sa-
rio est
ficium:
& ideò
vocetur,
nistrandi
m appli-
è confici-
nti, ideò
o intentio
ctiva fru-
m confert
lum sacer-
sacrificium
tauro Eccle-
di est mere
, ad quam
habitualis, id
2.

Obj. 2.

necessariò fieri ante consecrationem utriusque speciei finitam & completam. Ratio est: quia intentio applicativa sacrificii necessariò debet fieri antè illud tempus impletum, quo confertur fructus sacrificii; sed fructus sacrificii præcipuus ex opere operato confertur in ipsa essentiali actione & oblatione sacrificii, quæ consistit in sola consecratione utriusque speciei; ergo ante finitam & completam consecrationem utriusque speciei debet fieri applicatio seu intentio applicativa sacrificii & quidem juxtà sententiam supra probatam, quod utriusque speciei consecratio sit de sacrificii essentia, post consecrationem hostiæ ante consecrationem calicis potest sacerdos adhuc applicare fructum sacrificii: quia juxtà hanc sententiam perficitur sacrificium in consecratione calicis; ideòque tunc primum sacerdos dicitur integrè sacrificare & offerre sacrificium; ergo ante calicis consecrationem finitam sacerdos potest applicare fructum sacrificii, ideo non tantum tunc, quando ante consecrationem panis applicaverat alteri, eâ voluntate revocatâ poterit applicare de novo, sed etiam si nulli adhuc applicaverat: quia prius consecratione calicis finitâ confertur fructus sacrificii, imò in casu, in quo unus sacerdos solo pane consecrato subito deficeret, & alius sacerdos supplens consecraret calicem, hic ultimus posset applicare sacrificium: quia hic solus essentialiter & completè offerret sacrificium, & consequenter illius fructum applicaret, nec teneretur se intentioni prioris sacerdotis conformare, quantum est ex ratione sacrificii.

Q. 3. Cui applicetur fructus sacrificii, si sacerdos nulli fructum applicet?

R. 1. Si sacerdos expressè velit nec sibi nec alteri fructum ministerialem applicare, fructus ministerialis nulli in particulari prodest, sed remanet

in

in thesauro Ecclesiæ : quia ut fructus ille alicui proficit, debet determinatè à celebrante applicari.

2. Si sacerdos ex inadvertentia sive oblivione sacrificium nulli applicet, fructus ministerialis juxtà sententiam valdè probabilem obvenit ipsi celebranti, si est capax, quia quisque habet generalem intentionem seipsum per opera sua juvandi, quantum potest, ideòque sicut quodlibet opus satisfactorium, licet non proficit alteri, nisi speciali intentione eidem applicetur vel donetur, semper tamen prodest operanti, si nemini applicetur; ità etiam satisfactio sacrificii prodest celebranti, si nemini applicetur, licet enim illa sit Christi propria, est tamen data celebranti sacerdoti, ut facta sit velut ipsius ex concessione Christi propria, adeoque si non applicetur alteri, ipsi sacerdoti remanebit, quod magis verum est, si sacerdos aliquando habuerit expressam intentionem applicandi sibi ipsi, aut cui est maximè obligatus, in casu quo sacrificium non applicatur.

Q. 4. Cui obveniat fructus sacrificii, si Missa applicetur incapaci v. g. animæ beatæ, vel damnatæ, vel existenti in peccato mortali?

R. Tunc fructus sacrificii satisfactorius remanet in thesauro Ecclesiæ unà cum aliis satisfactionibus & meritis superabundantibus Christi & Sanctorum, ex quo thesauro conceduntur Indulgentiæ. Ratio hujus est: quia tunc fructus ille non cedit sacrificanti: quia per applicationem illam sacerdos se illo fructu privavit, nec prodest aliis: quia non est alteri quàm incapaci applicatus; ergo manet in thesauro Ecclesiæ, undè in praxi consultum est, ut quando dubium est, an is, pro quo offerimus sacrificium gratuitum sive sine obligatione, sit capax fructus vel indignus, fructum applicemus nobis ipsis

ipsis, vel alteri sub conditione : v. g. offero Missam pro hac anima, si non sit capax, applico mihi vel huic alteri. *Dixi*: Sacrificium gratuitum: quia si Missa ex obligatione alicui sit applicanda, cui non potest prodesse ob incapacitatem, tunc cedit fructus sacrificii alteri personæ vivæ vel defunctæ ipsi, cui debebatur, maximè conjunctæ; talis enim videtur esse omnium fundantium vel dantium stipendium implicita intentio, ut si ipsis non prosit, aliis vel magis conjunctis, vel quibus magis sunt obligati, sacrificium prosit.

Q. 5. Quis fiat particeps fructus sacrificii, si sacerdos prius uni, postea alteri idem sacrificium applicet v. g. sacerdos accipit stipendium à Petro, pro quo proponit cras celebrare, & cras accipit stipendium à Paulo, pro quo etiam proponit illo die celebrare?

R. Vel sacerdos applicans pro Paulo meminit prioris applicationis factæ pro Petro, & tunc applicando pro Paulo revocat priorem applicationem, ideòque valebit posterior applicatio manente tamen obligatione etiam satisfaciendi pro Petro; aut sacerdos non meminit prioris obligationis, & tunc res est valdè dubia, cui prosit fructus sacrificii; aliqui volunt valere posteriorem applicationem, sicut valet posterius testamentum, licet testator id fecerit immemor prioris testamenti, alii volunt valere priorem applicationem: quia sacerdos semper præsumitur habere intentionem saltem implicitam tribuendi cuilibet jus suum, qui autem prior est tempore, potior est Jure; in praxi ergo consulendum est, ut qui sic celebravit, offerat alterum sacrificium cum intentione conditionata, ut prosit illi ex istis duobus, qui prioris sacrificii fructum non est consecutus, sive sit primus sive secundus.

QUÆ

Da

Q

D

hic C

P

debi

vim

rific

pecc

offer

na pe

sa ap

crific

pitia

quia

dum

crifi

con

retin

non

rio e

tum

torio

in or

sacris

nanti

vivis

offere

ficio

niens

efficac

Pa

Q U Æ S T I O III.

*Quem effectum sacrificium Missæ causet in illis
pro quibus offertur?*

DICO I. *Hoc Sacramentum... in quantum est
sacrificium habet vim satisfactivam.* S. Th.
hic Q. 79. a. 5. O.

Probatur : Vi cujus remittitur pœna peccatis debita vel tota vel ex parte, illud habet vim satisfactivam; atqui vi sacrificii Eucharistici illis, quibus applicatur, remittitur pœna peccatis remissis debita: quia sacrificium crucis offerebatur potissimum in satisfactionem pro pœna peccatis nostris debita; sed per sacrificium Missæ applicatur nobis fructus sacrificii crucis; ergo sacrificium Missæ habet vim satisfactivam & est propitiatorium pro pœnis, & quidem immediatè: quia remittit pœnam peccatis debitam per modum solutionis pro nobis factæ in cruce, & per sacrificium Missæ applicatæ subjecto capaci nempè constituto in gratia & affectum ad peccatum non retinenti, idque ex opere operato & infallibiliter, non tantum vivis, sed etiam animabus in purgatorio existentibus; quia hoc sacrificium est institutum à Christo etiam pro animabus in purgatorio in eum finem, ut eis pœnas remittat; nam in ordinatione sacerdotis datur potestas offerendi sacrificium etiam pro defunctis per illa verba ordinantis: accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis; si ergo in sacerdote sit potestas offerendi sacrificium pro defunctis, etiam in sacrificio erit efficacia ad adjuvandos defunctos proveniens ex institutione Christi, & consequenter hanc efficaciam habebit infallibiliter; quia adest effica-

cia in sacrificio & potestas in offerente & nullus obex in recipiente.

Obj. 1. Animæ in purgatorio non sunt amplius membra Ecclesiæ visibilis, nec sunt in statu satisfaciendi, sed in statu satisfaciendi; ergo nequit sacrificium illis prodesse, sicut vivis; aut saltem, non ut satisfactorium pro ipsis satisfacere, sed tantum per modum suffragii, hoc est: ex acceptatione Dei de congruo.

R. ad 1. Quod, licet animæ purgantes non sint membra Ecclesiæ visibilis, spectent tamen ad Ecclesiam tanquam nondum in termino constitutæ, & ideò potest Ecclesia visibilis se interponere pro ipsis apud Deum.

Ad 2. Quod animæ in purgatorio non sint in statu satisfaciendi per seipsas, sunt tamen in statu, in quo alii pro ipsis satisfacere possunt, præsertim applicando satisfactionem Christi.

Obj. 2. S. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 14. inquit: *Neque id posse rite offerri, nisi per sacerdotem sanctum & justum, nec nisi ab eis accipiatur, quod offertur, pro quibus offertur; atqui ab animabus in purgatorio existentibus non accipitur, quod offertur; ergo neque pro eis offertur.*

R. Quod S. Aug. agat de oblatione Christi pro humano genere in cruce factâ, sitque sensus verborum, quod corpus offerendum ab hominibus, id est: humanæ naturæ: assumere voluerit, quod pro hominibus offerretur, ut patebit legenti sequentia: *Quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro.* Undè illud, quod sublimitur, non est ad mentem & sensum S. Augustini.

Obj. 3. Nemini remittitur pœna temporalis, per sacrificium; quia juxtâ Apost. Hebr. 9. v. 22.

Sine

Sine sanguinis effusione non fit remissio; in sacrificio autem Missæ non est sanguinis effusio. Et Hebr. 10. v. 14. Christus unâ oblatione consummavit in sempernum sanctificatos. Et v. 18. ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato. Ergo pœnæ omnes peccatorum in sacrificio crucis remissæ sunt.

*§. ad 1. Loquitur Apostolus de sacrificiis veteris Legis pro peccatis, in quibus semper erat sanguinis effusio. Ad 2. Unâ oblatione Christus consummavit sanctificatos, ut nullus sanctificetur, nisi dependenter ab illa oblatione. Unde ad 3. Illâ oblatione sufficienter omnibus remissio obtenta est, quia pretium redemptionis est solutum, nec requiritur nova solutio, sed solutionis applicatio, & hæc applicatio est sacrificii incruenti oblatio, per quam vivis & defunctis remittitur pœna temporalis, non quidem semper tota, aliàs frustra pro eodem defuncto offerrentur plura sacrificia, sed vel tota vel quoad partem juxtâ determinationem Christi & dispositionem offerentium & eorum pro quibus offertur, ut inquit S. Th. loc. cit. *Quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis & non pro tota pœna.**

DICO 2. Quantum . . . ad remissionem culpæ & adeptionem gratiæ . . . hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui conjunguntur huic Sacramento per fidem & charitatem. S. Th. hic Q. 79 a. 7 ad 2. Si ve remittuntur per sacrificium Missæ peccata, tum venialia, tum mortalia, sed tantum mediatè.

Prima Pars probatur: Ex Trident. afferente, quod hoc sacrificium offeratur pro peccatis; atqui frustra offerretur pro peccatis, nisi aliquo modo

causaret remissionem peccatorum tum venialium, tum mortalium, ergo. Daindè quia hoc sacrificium est representativum sacrificii crucis, ideo remittit pœnam; ergo etiam aliquo modo remittit culpam, cum sacrificium crucis non tantùm ad pœnam, sed multò magis ad culpam tollendam oblatum fuerit.

Secunda Pars probatur: Peccata tam venialia, quàm mortalia remittuntur per hoc sacrificium mediantibus actibus supernaturalibus, quibus retractentur; & quidem quoad peccata venialia, cum sint quædam maculæ libero arbitrio contractæ, conveniens est, ut nunquam tollantur nisi piâ animæ affectione, quæ peccatis venialibus aliquo modo repugnet, & per quam retractentur; licet enim remissio pœnæ fieri possit per solam condonationem extrinsecam, remissio tamen culpæ etiam venialis, ut nempè offendens non sit amplius offendens, non potest fieri sine proprio actu offendentis, quo offensam aliquo modo vel formaliter vel virtualiter retractet. Quoad peccata mortalia, modum, quo hoc sacrificium causat remissionem eorum, exponit Trid. sess. 22. de Sacrif. Cap. 2. dicens: *Docet sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus; misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit; ergo juxtà Concilium sacrificiû remittit peccata mediante gratia actuali, auxilio & dono pœnitentiæ intuitu hujus sacrificii à Deo impetratis.*

Ratio autem est, quod Sacramenta sint instituta ad gratiam sanctificantem suscipientibus conferendam

DE EFFECTIB. FRUCTIB. ET DEFECTIB. MISSÆ. 567
dam & augendam & ad peccata remittenda, sacri-
ficiū autem est ordinatum, tum ad colendum
Deum, tum ad impetrandum à Deo beneficia spi-
ritualia & temporalia, tum ad satisfaciendum. Et
certè si sacrificiū immediatè causeret remissionem
peccatorum, peccata remitterentur peccatoribus,
pro quibus hoc sacrificiū offerretur, parvuli recens
nati mundarentur ab originali sine baptisimo, relapsi
sine susceptione pœnitentiæ in re vel in voto justifi-
carentur, quod nullus Catholicorum admittit. Sed
auxilia quibus homo ad remissionē peccati ad eptio-
nem gratiæ & gloriæ vel efficaciter vel sufficienter
juvetur, obtinentur; quia est idem sacrificiū cum
sacrificiō crucis; certum est autem, quod Christus
per sacrificiū crucis infallibiliter nobis meruerit
remissionem peccatorum, gratiam & gloriam, ergo
etiam per sacrificiū Missæ impetrantur auxilia,
quæ quidem sunt sufficientia ad pœnitentiā, non
tamen semper sunt efficacia respectu omnium, qua-
re non est mirum, quod multi, qui sæpè & quotidie
missam audiunt, imò ipsi celebrant, vel pro se cele-
brari faciunt, nihilominus maneat funibus pecca-
torum illigati.

Præter hæc ad gratiæ consecutionem auxilia,
etiam alia spiritualia & corporalia beneficia per hoc
Sacramentum obtinentur, tum quia Con. Trid. loc.
cit. dicit illud offerri *pro peccatis pœnis, satisfactio-
nibus & aliis necessitatibus*; tum quia similia bene-
ficia impetrari possunt per orationem; sed præstan-
tissimum genus orationis est sacrificiū habens su-
am efficaciam ex meritis Christi qui simul est prin-
cipalis offerens & res oblata; Christus autem me-
ruit nobis non tantum bona salutaria necessaria, sed
etiam utilia; valet ergo sacrificiū Missæ prima-
rio ad impetranda bona spiritualia: ut gratias actua-

les tam excitantes quam adjuvantes ad conversionem, ad gratiam & gloriam consequendam, ac auxilia (piritualia, quibus resistatur tentationibus, acquirantur virtutes, vitia extirpentur. Secundario valet ad bona temporalia spiritualibus subservientia impetranda, ut patet ex usu quotidiano Ecclesiæ, quæ semper consuevit hoc sacrificium offerre pro bonis tam corporalibus quàm spiritualibus.

Porro hoc sacrificium est impetratorium talium beneficiorum spiritualium & temporalium ex opere operato immediatè hoc sensu, quod ex se & vi institutionis suæ ac ex dignitate principalis offerentis hostiæque oblatae nempe Christi sit idoneum & efficax ad flectendam divinam bonitatem, ut beneficia postulata concedat etiam independenter à dignitate ministri offerentis, effectus tamen impetrationis non est infallibilis: quia Christus suam institutionem subordinavit divinæ providentiæ & dispositioni, nec habemus de tali impetratione promissionem absolutam, sed tantum conditionatam, si nobis, quod rectè petimus, secundum divinæ providentiæ ordinationem dari expediat, licet autem non semper obtineatur id, quod petitur, semper tamen aliquid obtinetur, vel idem alio tempore opportuno, vel aliud quidpiam prout Deo visum fuerit.

Adde: Quod licet sacrificium Missæ sit impetratorium ex opere operato, certum tamen sit, ad impetrationem multum conducere devotionem & sanctitatem sacerdotis sacrificantis; licet enim dignitas principalis offerentis ac hostiæ Christi sit sufficientissima ad quodvis impetrandum, efficacia tamen impetrationis etiam proportionatur devotioni & meritis ministri & offerentium, uti à pari, licet gratus sit principalis per legatum aliquid petens vel offerens, facilius tamen & melius impetrat, quando

D
do
acc
san
fac
plu
stco
lem
deb
cer
F
sac
ex
fru
crit
pro
& r
titu
imp
ex
ctu
est
nen
imp
trate
aliqu
rium
non
sepa
tion
tame
tion
nem
sensu
sis d

DE EFFECTIB. FRUCTIB. ET DEFECTIB. MISSÆ. 169
do legatus ejus nomine postulans etiam est gratus & acceptus, eodem modo Missa sacerdotis boni & sancti, licet ex opere operato non plus valeat quam sacrificium sacerdotis impii, ex hoc tamen multò plus prodest Ecclesiæ & fidelibus, quia est à ministro sancto.

Q. An semper participans fructum ministerialem impetratorium etiam participet aut participare debeat fructum satisfactorium ex applicatione sacerdotis?

R. Negativè: Sed potest sacerdos validè & sæpè licitè hos fructus separare. Ratio est: quia ex una parte fructus impetratorius est separabilis à fructu satisfactorio, nam quando sacerdos offert sacrificium pro aliquo existente in peccato mortali, prodest illi sacrificium quoad vim impetratoriam & non quoad vim satisfaciendi: quia nulli remittitur pœna, nisi prius sit remissa culpa; ergo fructus impetratorius potest separari à fructu satisfactorio, ex altera etiam parte Christus nullibi statuit hos fructus esse inseparabiles, quoties ergo sacerdos non est obligatus offerre sacrificium ad certam intentionem, potest separare fructum satisfactorium ab impetratorio, vel sibi reservando fructum impetratorium & aliis satisfactorium, vel applicando aliquibus fructum impetratorium & aliis satisfactorium: concessum enim censetur, quidquid expressè non reperitur prohibitum; cum ergo fructus sint separabiles, & nulla inveniatur prohibitio separationis, possunt & validè & licitè separari; quando tamen sacerdos ex justitia ob stipendium vel fundationem est obligatus celebrare ad certam intentionem, non potest licitè dividere fructus: quia ex sensu & intentione omnium fidelium, qui pro Missis dant stipendium, sine dubio omnem fructum

570 DISPUTATIO XXVII.
tam satisfactorium quàm impetratorium ex opere
operato proveniente sibi applicari deprecantur.

Q U Æ S T I O IV.

De Defectibus Missæ & modo eos sanandi.

Defectus Missæ dicitur vel omissio alicujus, quod ad substantiam aut accidentales ritus sacrificii Missæ pertinet vel contraria rubricis tum præceptivis tum directivis Missæ celebratio. Pro quorum notitia

Suppono : Quod sacerdos sub mortali observare teneatur ritus etiam accidentales ab Ecclesia in rubricis præceptivis præscriptos, licet levitas maximæ vel defectus advertentiæ à mortali sæpè excusent, necessitas etiam celebrandi cum impossibilitate exercendi omnes ritus accidentales, quandoque ab omni peccato excusat. Sunt autem rubricæ præceptivæ, quæ præscribunt instrumenta ad sacrificium requisita, ut Calicem, patenam, Corporale, pallam, purificatorium &c. & vestimenta sacra in sacerdote, ut humerale, sive amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam & Casulam, de quibus infra, quæ volunt ministrari sacro a ministro masculino, quæ præscribunt ordinem Missæ, jejunium sacerdotis, confessionem præmittendam, Rubricæ directivæ sunt, quæ continent ea, quæ pertinent ad decentius & cum majori reverentia offerendum sacrificium Missæ; tales rubricæ sunt de oratione ante & post Missam recitanda, de præmittendis matutinis, de servando numero collectarum, de servando officio duplici, vel simplici, de colore paramentorum. Quæ rubricæ per se loquendo tantùm obligant sub peccato veniali; *Ratio est*: quia hæc nec ipsæ rubricæ sub mortali præcipiunt,

piunt, nec alio jure tam graviter præcepta referuntur; ideoque sub onere mortalis non obligant. Illa tamen omittere erit peccatum veniale; quia sine rationabili causa omittere ritus ad majorem reverentiam Sacramenti & sacrificii præscriptos ab Ecclesia est irreverentia venialis; *Dixi per se loquendo*: quia per accidens non observantia rubricarum directivarum est in tribus casibus peccatum mortale. *Imprimis*, si aliquid præter præscriptum rubricarum fiat animo inducendi novum ritum, hoc enim gravissimè prohibitum est à S. PIO V. & Concil. Trident. sess. 22. in Decreto de Observ. & evit. in celebr. Miss. *Deinde*, si aliquid contra rubricas directivas fiat cum gravi scandalo, quod coram populo facile potest oriri. *Denique*, si aliquid fiat cum contemptu saltem implicito rubricarum; ut si quis ut plurimum nullam observaret cæremoniam, vel rubricam, talis enim implicitè censetur contemnere rubricas ab Ecclesia ordinatas, aut certè velle novum ritum introducere.

Hoc supposito duplex resolvenda est difficultas prima quoad obligationem vitandi omnes defectus, qui in sacrificio Missæ contingere possunt vel faciendo vel dicendo aliter ea, quæ facienda & dicenda sunt, aut eadem omittendo. Secunda quantum ad obligationem sanandi defectus admissos.

DICO I. *Quia in hoc Sacramento totum mysterium nostræ salutis comprehenditur, ideo præ cæteris Sacramentis cum majori solemnitate agitur... Et ideo specialiter in hoc Sacramento magis, quam in aliis debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad salutem totius Ecclesie. S. Th. hic Q. 83. a. 4. O. & ad 3.*

Conclusio explicat rationem, quare Ecclesia ea, quæ tum aguntur, tum dicuntur in sacrificio

cio Missæ instituerit, videlicet ut congruè mysterium redemptionis nostræ repræsentet, ad quem finem omnia ordinantur; cum verò ille finis sit valdè excellens, sequitur, quod totum sacrificii ritum præceperit ex gravi motivo; quodlibet autem præceptum procedens ex motivo gravi obligat sub peccato gravi, ergo est gravis obligatio ad servandos ritus sacrificii Missæ ab Ecclesia præscriptos, qui notabiliter ad illum finem conducunt, sicut econtrà est tantùm obligatio levis ad illos ritus, qui tantùm leviter ad istum finem serviunt. Ex quibus

Sequitur 1. Quod quamcunque partem Missæ sive essentialem sive accidentalem notabilem omittere, sit peccatum mortale: ut qui consecraret unam tantùm speciem, qui non sumeret species consecratas, qui omitteret quamlibet orationem vel periculum in Canone tam minore; hoc est: à parte Missæ, in qua dicitur: *Sanctus*: usque ad consecrationem; quàm majore: hoc est: à consecratione usque ad Pater noster; qui omitteret oblationem hostiæ vel calicis, aut admixtionem modicæ aquæ, qui omitteret totam Epistolam, Graduale & Alleluja, totam postcommunionem. Econtra tantùm veniale est omittere partem non notabilem v. g. Collectam, orationem aliquam, Gloria vel Credo, quando illud juxta rubricas dici debet, Evangelium Dominicæ vel alicujus Vigiliæ dicendum loco Evangelii S. Joannis in fine Missæ, sequentias aliquorum festorum, Prophetias in feriis quatuor Temporum, imò in ipso Canone: Communicantes dicendum in festis solemnioribus Nativitatis, Paschatis &c. tum quia non notabiliter ad aliquod mysterium salutis nostræ repræsentandum serviunt; tum quia illæ partes Missæ sunt valdè extraordinariæ & accidentales; de verbis sacri

Cano-

Canonis controversatur : an ommissio unius verbi sit mortale peccatum ? fundamentum sententiæ negantis est : quod licet in Canone ob reverentiam & summam auctoritatem minor ommissio sufficiat ad peccatum mortale, quam in aliis partibus Missæ, omittere tamen unicum verbum secluso contemptu non videatur culpam venialem excedere.

Sequitur 2. Quod in Sacrificio Missæ ultra ea, quæ à rubricis præscribuntur, addere aliquid notabile sit peccatum mortale ex genere suo multò majus quàm aliquid nontabile omittere : quia ex genere suo est gravior culpa commissionis quàm omissionis ; tum etiam quia hic est majus periculum irreverentiæ & superstitionis , quæ longè facilius & difformius fit committendo quàm omittendo, nihilominus tamen potest etiam hic levitas materiæ à peccato mortali excusare : ut si in sacro dicantur plures Collectæ quàm Missale præscribit, non erit nisi veniale.

Sequitur 3. Quod designatam in Missali Missam mutare in aliam : ut quando de die Dominica vel festo duplici legendum est juxta Missale, vel aliis diebus , quibus prohibetur fieri Missa de festo duplici, ut infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, feria quarta Cinerum, in Vigilia Nativitatis & Pentecostes : tunc inquam legere aliquam Missam votivam de Sancto aliquo vel de Requiem secluso scandalo & contemptu est peccatum veniale. Licet enim illæ rubricæ præceptum non continent, continent tamen magnam convenientiam, cui sine inordinatione ac gravi ordinis perturbatione, adeòque absque gravi veniali culpa contraveniri non potest, nisi justa & gravis causa excuset : quales causæ sunt tum bonum commune vel necessitas publica, ita tempore pestis vel belli aut similis publi-

publicæ necessitati licitum est cantare solemniter votivum sacrum in festo duplici, vel infra privilegiatas Octavas. Tum quando corpus defuncti est expositum in Ecclesia, tunc enim die Dominico vel festo, non tamen solemnissimæ Paschæ vel similis festivitatis potest cantari Missa de Requiem, ut concessit sacra Rituum Congregatio. Tum ut pia voluntas testatorum impleatur, ob quod in festo duplici, quod non est de præcepto, possunt Missæ de Requiem dici, ut iterum declaravit sacra Congregatio. Tum quando celebratur in Ecclesia, in qua agitur dies festus proprius, potest in illa Ecclesia celebrari de sancto, cujus ibidem festum agitur, licet celebrans officium duplex habeat de alio Sancto. His & similibus æquivalentibus causis cessantibus manet regula generalis, quod non liceat diebus illis prohibitis celebrare aliam Missam ab ea, quæ secundum tempus occurrit, sive quæ cum officio concordat sub peccato veniali, ita enim rubrica de Missis votivis: *Quæ tamen Missa & omnes alie votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotis, quocunque die officium non est duplex aut Dominica, cum commemoratione ejus, de quo factum est officium & commemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in officio, id verò passim non fiat nisi rationabili de causa & quoad potest fieri, Missa cum Officio conveniat.* Hucusque rubrica.

Porro si alicui promisi Missam votivam vel de Requiem vel pro ea stipendium accepi aut superior votivam injunxit, aut votum feci de legendo votivo sacro, aut denique Confessarius pro pœnitentia talem Missam injunxit, in diebus prohibitis non possum legere Missam votivam, sed voto, promissioni, obedientiæ, pœnitentiæ fit satis legendo Missam

D
lan
rat
age
die
lea
stit
Re
qu
trud
ord
per
tiva
ten
mit
die
den
vel
rius
que
tiva

qua
me
me
rius
eora
tur
ren

non
posi
ficii
tur p
sed t
mon

lam

lam currentem concordantem cum officio. Hujus ratio manifesta est: quia non censetur infideliter agere ordinationes Ecclesiæ tam rationabiles custodiendo, cum omnis promissio vel præceptum censetur factum sine præjudicio legum; nec fit iniustitia offerenti stipendium pro sacro votivo vel de Requiem: quia omnes Missæ sunt ejusdem valoris, quæcunque legatur; ideòque non fraudatur suo fructu petens sacrum, sed fructus obedientiæ ad ordinationes Ecclesiæ à sacerdote applicatus compensat fructum, quem per proprias preces Missæ votivæ de tali Sancto vel funebris lucrari potuisset petens, nec violatur votum, quod est de meliori bono, minus autem bonum est privata devotio quàm obedientia & observantia ordinationum Ecclesiæ, nec demum committitur inobedientia erga superiorem vel Confessarium: quia nec superior nec Confessarius potuit aliquem obligare contra rubricas, ideòque vel legenda Missa currens eo die, vel Missa votiva injuncta differenda.

DICO 2. *Si Sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate Sacramenti, non existimas, quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere. Si verò certificetur se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, . . . resumatur à forma consecrationis & cætera per ordinem reiterentur. S. Th. hic Q. 83. a. 6. ad 5.*

Prima Pars probatur: Si repetenda forent ea, quæ non sunt de necessitate Sacramenti esset propter positivum Ecclesiæ præceptum: cum sine illis sacrificii essentia & integritas subsistat; atqui nullum datur præceptum Ecclesiæ de repetitione omissorum, sed tantùm de non omittendis illis, quæ ad cæremonias hujus sacrificii pertinent, quando actio sa-
cra

tra peragitur, non verò quando non peragitur.

Secunda Pars explicatur & probatur: Omnes defectus, per quos non offertur verum sacrificium, dum offerendum est, vel non perficitur integrè sacrificium, quando illud est perficiendum, ex eodem præcepto sunt supplendi, quo prohibetur, ne unquam forma consecrationis proferatur super indebita materia, aut una materia consecretur sine alia & quo jubetur, ut consecratione peractâ sacræ species sumantur; ergo quicumque defectus in partibus essentialibus vel integralibus sacrificii admittitur sive culpabiliter sive inculpabiliter: ut circa materiam & formam, circa consecrationem utriusque speciei vel sacrarum specierum summptionem semper supplendus est, quantum fieri potest. Alioquin sacrificium vel erit irritum vel ad minus manebit mutilum, quod foret grave sacrilegium. Ex quo

Sequitur 1. Si ante consecrationem defectus substantialis advertatur in materia v. g. vino vel pane, nec possit tamen haberi materia apta, debet relinquere Missa, quocumque illa fuerit producta.

2. Si ante consecrationem prævideatur defectus summptionis futuræ, adhuc est relinquenda Missa.

3. Si post consecrationem advertatur defectus substantialis alicujus speciei v. g. pro vino esse infusam aquam, debet de novo fieri consecratio illius speciei in materia apta.

4. Si autem non possit haberi materia apta substituenda pro materia inhabili, proseguenda est missa, ita tamen ut omittantur illa verba & cruce, quæ cadunt super speciem, quæ deest.

5. Si sumptâ unâ specie deprehendatur defectus substantialis in altera, de rigore quidem illa

tantum

tantum species esset de novo consecranda, quæ deprehenditur ex defectu capacitatis materiæ non esse consecrata, quia ut inquit de Sacramento ordinis Innoc. III. in Cap. Pastoralis 1. de Sacram. non iter. lib. 1. tit. 16. *In talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*; sed tantum erat prætermissa v. g. consecratio vini, & non consecratio panis; ergo supplenda est consecratio vini & non reiteranda consecratio panis. Quia tamen S. Th. hic a. 6. ad 4. dicit, quod si post sumptionem corporis advertatur vinum non fuisse in calice, & consequenter sanguinem non fuisse consecratum, debeat apponi nova hostia & vinum, Rubrica Missalis de defectibus vini §. 5. etiam dicat, quod si post sumptionem Corporis advertatur, Calicem non fuisse consecratum, apponi debeat rursus novus panis & vinum cum aqua, ne Sacramentum maneat imperfectum, & ut debitus ordo servetur; hoc utique observandum est, dummodo id commodè fieri possit ob auctoritatem S. Thomæ & Rubricæ, quæ si non præceptiva saltem est directiva; quod si tamen id commodè fieri non possit, observanda est alia pars Rubricæ dicentis in casu, quo post sumptionem corporis invenitur in calice aqua: *Si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & factâ oblatione consecrare ac statim sumere & proseguere cætera.*

6. Si ipse sacerdos sacrificans intrâ Missam deficiat morte aut apoplexiâ ante consecrationem, nihil est supplendum: quia adhuc nil essenziale sacrificii est positum; si autem deficiat post consecrationem, debet alius sacerdos sacrificium perficere incipiendo ab illo, in quo deficiens desierat, licet non

non sit jejunus, quia est major obligatio ad integrandum sacrificium, quàm jejunii.

7. Si Sacerdos moriatur post sumptam unam speciem, potest alius sacerdos sacrificium perficere sumendo v. g. solum sanguinem sine consecratione; quod si illo die, quo sacerdos deficit, nullus possit haberi sacerdos, qui suppleat, Sacramentum est reponendum in sacrario, usque dum altero die ab alio sacerdote sumatur.

8. Quoad accidentales defectus sive illi contigerint in recitando sive in agendo, ut si sacerdos omisit aliquam commemorationem vel Gloria vel Credo, vel extraordinarium Communicantes, si debitum Evangelium vel Epistolam vel Præfationem non legerit, non tenetur ista repetendo supplere defectum, licet sub veniali tenebatur illa cavere & non omittere, & hinc sufficit pœnitendo culpam admissam expiare; imò nisi defectus advertentiæ, & deliberationis excuset, gravius peccat repetendo: quia gravior deordinatio & irreverentia foret in ipsa sacra actione illa repetere, quam fuerit illa omittere, quod si tamen sacerdos, dum distractè orat, post pauca verba advertat, se aliquid notabile omisisse v. g. in Canone: Communicantes extraordinarium: regrediendum est, cum id sine scandalo & gravi incommodo fieri possit.

Illi, qui facilè distracti repetere solent, imò non sine offensione assistentium sacrificio sæpiùs eadem verba ingeminant præsertim in sacro Canone, & quod pejus est, in ipsa forma consecrationis, pro cautela notent verba S. Th. Q & a. cit. ad 5. *Licet sacerdos non recolat, se dixisse aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari, non enim qui multa dicit, recolit omnia quæ dixit nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit (sub ratione*

jam dicti: sic enim aliquid efficitur memorabile. Unde si aliquis attentè cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum postea recolat se dixisse. Sic enim aliquid fit objectum memoria, in quantum accipitur sub ratione præteriti.

Q. 1. Quale peccatum sit sine rationabili causa interrompere Missam?

R. Est peccatum ex genere suo mortale sine causa rationabili interrompere missam. Tum quia ex præcepto saltem Ecclesiastico S. Pii V. est obligatio Missam semel inceptam usque ad finem prosequendi; tum quia in Can. illud 15. ad complenda sacrificia, in quibus casu aliquo sacerdos deficit, jubetur alium sacerdotem præsentem habere, & in Can. Nihil 16. Causa VII. Q. 1. decernitur. *Nullus sine proventu patentis molestia minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere, si quis hac temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Undè nullam actionem discontinuantem sine justa causa sacrificio interponere licet, adeò ut graviter peccare videatur sacerdos, qui privatis precibus v. g. recitatione rosarii sacrificium interromperet, licet preces jaculatoriæ non prohibeantur, sicut nec aliæ vocales, dum sacerdos expectat chorum Credo vel simile quid decantantem, videtur tamen sub illis partibus non esse conveniens horas Canonicas ibi recitare.

Q. 2. Quæ causæ sint sufficientes ad licitè interrompendum sacrificium?

R. 1. Non est dubium, quin liceat desistere à sacrificio, si superveniat impotentia physica: Cum ad impossibile nulla sit obligatio; prætereà quandoque ex causâ interrompi potest, ut vel omninò relinquatur vel postea reassumatur, minor autem requiritur causa, ut sacrificium interrompi possit ante

oblationem quam post oblationem, eo, quod minus ante, quam post oblationem censeatur sacrificium esse inchoatum: communiter ob collationem ordinum, concionem, publicationem edictorum Ecclesiæ, receptionem professionis religiosæ ante oblationem licitè interrumpitur sacrificium; an verò ob adventum Episcopi vel principis possit interrumpi & ab introitu repeti, ut ipsi integram Missam audiant; est dubium, negativa videtur praxi conformior.

2dò, Oblatione jam factâ ante cœptum Canonem, si sine scandalo & gravi nota possit, non tantum potest, sed etiam debet sacerdos intermittere Missam, si recordetur se non esse jejunum vel excommunicatum, quod si post consecrationem meminerit se subjectum excommunicationi debet assumere propositum humiliter petendi absolutionem & pergere, si recordetur alicujus peccati mortalis, quod non est confessus, non tenetur sacerdos ab incepta Missa desistere: quia necessitas est proseguendi & præceptum præmittendi confessionem celebrationi Missæ non urget, dum non est copia Confessarii; est autem necessitas, quia celebratio sine indecentia omitti non potest, undè contritione conceptâ potest sacerdos Missam proseguere, ut cultus tanto sacrificio debitus observetur. Item ob grave malum imminens v. g. ob incursus hostilis, alluvionis, vel ruinæ loci, in quo celebratur, periculum, Canone nondum cœpto licet cessare à sacrificio.

3tò, Incepto jam Canone gravior quidem requiritur causa ut liceat desistere à sacrificio, utpote quoad proximam præparationem jam quasi substantialiter initiato, nihilominus ad hoc ut etiam post consecrationem aliquantulum interrumpi possit Missæ sacrificium sufficit vel propria vel aliena
necessi.

necessitas, quæ dilationem non patitur; ita tamen
 ut si post transactam necessitatem, possit reassumi,
 postea continuetur sacrum. Undè in casu, quo urget
 necessitas subveniendi proximo ad aliquod Sacra-
 mentum moraliter necessarium in articulo mortis
 conferendum, ut est Sacramentum pœnitentiæ vel
 in hujus defectu extrema Unctio, vel etiam Eucha-
 ristia, dum censetur infirmus moraliter expectare
 non posse finem Missæ, poterit sacerdos Missâ reli-
 ctâ ab altari secedere & ad infirmum pergere, ut
 ipsi subveniat, quanquam debeat postea sacrificium
 perficere, quod si verò paulò ante infirmus suscepis-
 set pœnitentiæ Sacramentum, atque adeò extrema
 Unctio seu viaticum non censentur moraliter ipsi
 necessaria ad salutem, non potest quidem sacerdos
 ad conferenda moribundo hæc Sacramenta exire
 de templo, potest tamen infirmo, si intra templum
 existat, interrumpendo sacrum præbere illa Sacra-
 menta, eo quod ejusmodi tam brevis interruptio
 cohonestetur ex proximi necessitate, nec sacerdos,
 dum in Ecclesia existit, censetur moraliter ab altari
 recessisse, utpote habens intentionem mox rever-
 tendi ad perficiendum sacrificium.

Q. 3. Qualiter Ecclesia determinavit tempus
 celebrandi sacrificium?

R. 1. Quoad frequentiam temporis non nisi se-
 mel eodem die celebrari debet Missæ sacrificium
Sufficit (inquit Alex. II. Can. 53. dist. 1. allegatus
 à S. Th. hic Q. 83. a. 2 ad 3.) *sacerdoti, unam
 Missam in die una celebrare: quia Christus semel
 passus est, & totum mundum redemit.* Itaque quoque
 Innoc. III. in Cap. consulisti 3. de celebr. Miss.
 lib. 3. tit. 41. *Excepto die Nativitatis Dominice, nisi
 causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in
 die unam Missam solummodo celebrare,* in quo textu

excipitur primò dies Nativitatis Domini, in qua non ex obligatione, sed ex privilegio sacerdotes legunt tres Missas, propter triplicem Christi Nativitatem (inquit S. Th. loc. cit. ad 2.) quorum una est aeterna, qua quantum ad nos est occulta: Et ideo una Missa cantatur in nocte... alia autem est temporalis, sed spiritualis: quâ scilicet Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris.. Et propter hoc cantatur Missa in aurora.. Tertia est Christi nativitas temporalis Et corporalis: secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali, carne indutus, Et ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce. Excipitur secundò causa necessitatis, quæ est v. g. si unus sacerdos duplici præsit Parochiæ & non sit alius, qui populo alterius Parochiæ celebret, licet autem alii casus necessitatis adducantur, videlicet communicandi infirmum aliàs sine viatico moriturum, satisfaciendi multitudini hominum supervenientium, qui aliàs sacrificio carebunt, attamen tum in his tum in priori aliisque non jure divino celebrationem exigentibus casibus debet alterâ vice celebraturus esse jejunus secundum ea, quæ suprâ tradita sunt.

2. Quoad horam diei licet S. Th. loc. cit. O. asserat illam esse à tertia usq; ad nonam sive juxtâ horum locorum distributionē à nona antemeridiana usque ad tertiam pomeridianam, ut licitum fuerit tunc, quando scilicet S. D. vivebat, sacrificium Missæ offerre, hodie tamen tempus celebrandi est ab Aurora usque ad meridiem, id est: ab illa hora, quâ primùm diei crepusculum sive prima Solis irradiatio est, usque ad horam meridianam, quæ in hisce partibus est duodecima, postquam inchoare sacrificium in hac Archi Diœcesi Coloniensi vetitum est sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. Hoc tempus anticipare possunt specialiter, qui privilegium quale

quale aliquibus refertur concessum, obtinuerunt; omnes verò sacerdotes generaliter in festo Nativitatis Domini, in quo post mediam noctem non tantùm primam, sed omnes tres Missas celebrare licet: ut patet ex praxi timoratorum, & Rubrica de celebranda sola prima Missa in nocte vel est directiva vel loquitur de Missis solemnibus, non de privatis, etiam licet hoc tempus prævenire, vel post illud celebrare ob necessitatem v. g. præbendi viaticum infirmo vel satisfaciendi populo, qui aliàs sacrificio carebit, aut ob legitimè introductam consuetudinem, qualis est hæc, ut Missâ solemnem cum Concione diutiùs protractâ & post meridiem absolutâ, aliquæ Missæ privatæ celebrentur, ne plures sacrificio Missæ integro interesse non possint: quia determinatio temporis est Juris Ecclesiastici, quod per expressum vel legalem prælatorum Ecclesiæ consensum statui & abrogari potest.

3. Quoad dies anni: quolibet die licitum est offerre sacrificium, exceptâ die Parasceves, in qua non celebratur, & Sabbatho sancto, in quo solum solemne sacrum in qualibet Ecclesia offerri potest; licet enim in feria quinta Cœnæ Domini pius in aliquibus Ecclesiis præsertim regularium mos sit, ut unica Missa solemnem celebretur à superiore, è cujus manu omnes sacerdotes communicant, id tamen non videtur introductum per modum obligationis, sed devotionis gratia, ut sic apertius commemoretur Apostolorum de manu Christi accepta Communio, quando in ultima Cœna instituebat hoc Sacramentum, undè in Cœna Domini absolutè licet celebrare Missas etiam privatas; attamen in die Parasceves non licet celebrare, nec distribuere Communionem, nisi existentibus in mortis periculo, ut speciali decreto sancivit Innocentius XI. Anno

1679. die 12. Februarii, ne tamen Ecclesia eâ etiam die sit sine fructu passionis, per hoc Sacramentum nobis exhibito, Christi corpus præcedenti die consecratum reservatur illo die sumendum non autem sanguis, tum propter periculum, tum quod sanguis sit specialis imago Dominicæ Passionis. Pariter in Sabbatho sancto præter Missam Conventualem alias privatas fieri strictè prohibuit Alexander VIII. 12. Februarii Anno 1690. quidquid circa hoc diversa sentientes disputent anteriores Auctores.

Q. 4. An & in quibus casibus liceat sacrificium offerre extrâ Ecclesiam?

R. 1. Regulariter in solis Deo dicatis templis hoc sacrificium offerendum est, ità Felix IV. Can. Consecrationem 1. dist. 1. de Consecr. *Missarum celebrationis non alibi, quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus,* & in Can. sicut II. ibid. *nec in aliis, quàm Domino sacratis locis, id est, in tabernaculis divinis precibus à Pontificibus delibutis Missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas,* item Sylvester P. Can. nullus 15. ibid. *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotii.* Prohibet expressè Trident. sess. 22. in Decret. de Observ. & Evit. in celebr. Miss. *Ne patiantur (ordinarii) privatis in domibus, atque omninò extrâ Ecclesiam & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda & visitanda sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscunque peragi.*

2. In quibusdam casibus extrâ Ecclesiam licitum est celebrare: videlicet imprimis, si exigat necessitas, quæ in citatis Juris textibus excipitur; undè si
longa

longa instituat^{ur} peregrinatio, in qua non sit facultas audiendi Missam, nisi celebretur Missa extrâ Ecclesiam, licet extrâ Ecclesiam in altari portatili celebrare. Si Ecclesiæ sint dirutæ. Si Ecclesia non possit capere multitudinem ad solemnitatem confluentem. In castris pro militibus vel in littore maris pro navigantibus intrâ triremes existentibus, ut die festo Missam audiant, vel pro existentibus in aliis gravioribus navigiis licet celebrare etiam in ipso mari: tum quia hoc specialiter non prohibetur; tum quia tranquillo mari, si nullum iudicio peritorum nautarum adsit tempestatis periculum, etiam nullum est irreverentiæ morale periculum in mari. Deinde si adsit legitima dispensatio, quam Episcopus ex legitima causa concedere potest, ut in loco decenti extrâ Ecclesiam celebrari possit, nec hæc potestas per Trid. in Decreto de observandis & vitandis in celebratione Miss. est Episcopis sublata, sed tantum potestas concedendi facultatem liberam etiam in loco profanis usibus destinato celebrandi. Denique si quis obtineat privilegium, quale habet Episcopus, ut vel ipse vel alius sacerdos coram ipso possit itineris causâ in loco decenti celebrare cum altari portatili ex cap. fin. de privileg in 6. lib. 5. tit. 7. in quo Bonif. VIII. *Quoniam Episcopi eorumque superiores se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis absentare frequenter, nec semper possunt commodè ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem, præsentis constitutione indulgemus eidem, ut altare possint habere viaticum, & in eo celebrare ac facere celebrari, ubicunque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare divina.* Nec hoc privilegium est revocatum per Trid. loc. cit. eo quod Concilium tantum præceperit

rit Episcopis . ne permittant saculares aut regula-
res extra Ecclesiam & oratoria ab eisdem designan-
da & visitanda celebrare , non verò prohibeat ip-
summet Episcopum pro se celebrare vel celebrari
facere extra Ecclesiam seu oratorium, in præsentì
autem intelligitur nomine Ecclesiæ , non tantùm
Ecclesia consecrata aut benedicta ab Episcopo vel
simplici sacerdote habente facultatem benedicen-
di, sed etiam oratorium non benedictum , quod
tamen ad usum sacrificandi sit unicè deputatum &
ab Episcopo designatum ex præcitato Tridentino.

Q. 5. Quando non licet in Ecclesia peragere sa-
crificium ?

R. In Ecclesia violata vel polluta sine gravi cul-
pa non potest celebrari antequam reconcilietur , ut
patet ex cap. fin. de Consecrat. Eccles. vel Altar. lib.
3. tit. 40. ab hoc tamen peccato excusabitur sacer-
dos, si Ecclesia polluat post Canonem jam à se in-
ceptum , tunc enim potest Missam prosequi sine
reconciliatione , eo quod moraliter censeatur sacri-
fificium quasi substantialiter inchoatum, secus foret, si
violatio Ecclesiæ contingeret ante inceptionem Ca-
nonis, tunc enim vel deberet exspectare reconci-
liationem vel Missam omittere. Violatur au-
tem Ecclesia quinque modis: 1^{mo}, Si fiat injurio-
sa ad mortale peccatum sufficiens percussio cum
effusione humani sanguinis non modici sed in no-
tabili quantitate ex corpore hominis non cadave-
ris. Cap. fin. cit. hic modus non extenditur ad ali-
am percussionem vel injuriam corporalem citrà
sanguinis effusionem , quia sacri Canones requi-
runt in hoc casu sanguinis effusionem , sive autem
vulnerans sit in Ecclesia sive non , modo vulneratus
existat intrà Ecclesiam, & vulnus in Ecclesia infliga-
tur , licet etiam sanguis pavementum Ecclesiæ non
contin-

contingat, aut contineatur, donec extrâ Ecclesiam effluat, quia verè sanguinis effusionis causa in Ecclesia posita est. 2^{dò}, Si homicidium voluntarium per actionem mortaliter peccaminosam patretur, si-ve vulneratus lethaliter intrâ sive extrâ Ecclesiam moriatur, modò vulnus lethale fuerit inflictum existenti intrâ Ecclesiam. 3^{tiò}, per voluntariam seminis effusionem etiam per copulam conjugalem saltem extrâ casum necessitatis intrâ Ecclesiam exercitam. *Dixi* saltem: quia nonnulli necessitatis causam ob periculum incontinentiæ in conjugate ex diuturniore mota in Ecclesia secutum nolunt admittere. 4^{to}, per sepulturam excommunicati vitandi vel pagani non baptizati, qualis etiam censetur infans non baptizatus, per sepulturam verò catechumeni Ecclesiam non pollui probent hac ratione: Cum enim vi charitatis nobis conjunctus sit, non debet in sepultura à nobis separari, nec adeò si sepeliatur in Ecclesia vel cæmeterio, istud censebitur pollui. Ut his modis polluta sit Ecclesia requiritur, ut factum sit notorium, ut nulla possit tergiversatione celari. Denique 5^{to}, non tam polluitur (quod commune est Ecclesiæ etiam non consecratæ) quam execratur sive consecrationem amittit Ecclesia consecrata per destructionem murorum vel parietum templi talem, ut eos oporteat de integro restaurare & reædificare: his enim inhæret consecratio, sicut pavimento inhæret benedictio, si verò rectum vel alia opera lignea comburerentur, remanentibus parietibus, ex cap. ligneis 6. de Consecr. Eccles. vel si partes murorum successivè & per partes destruerentur & repararentur, non amitteret Ecclesia consecrationem, censeretur enim semper eadem remanere Ecclesia. In hoc postremo casu Ecclesia indiget novâ consecratione nec sufficit reconcilia-

tio, ut in præcedentibus, ut possit in ea licitè celebrari.

Porrò hæc reconciliatio potest fieri à simplici sacerdote, si Ecclesia tantùm benedicta sit violata & non requiritur licentia Episcopi nisi tantùm ex decentia, nisi particularia statuta, aut consuetudo obstent, ut probatur ex cap. si Ecclesia fin. de consecr. Eccles. lib. 3. tit. 40. in quo de Ecclesia non consecrata dicitur, quod polluta aquâ protinus exorcizatâ lavetur, quod fieri non posset, si mandatum Episcopi foret expectandum. Ex cap. aquâ 9. eod. tit. Ecclesia consecrata reconcilianda est per Episcopum non per simplicem sacerdotem etiam de licentia Episcopi, nisi talis habeat à S. Pontifice privilegium exercendi Pontificalia, quale habent Abbates Mitrati. Faciendaque est hæc reconciliatio per aquam cum vino & cinere benedictam ex Cap. proposuisti 4. eod. tit. Et si Ecclesia fuerit per sepulturam infidelis aut excommunicati non tolerati polluta, corpora sunt exhumanda & parietes & tigna radenda Can. Ecclesiam 27. & 28. dist. 1. de Consecrat. Oratoria non consecrata nec benedicta, licet ad cultum divinum sint deputata, sicut per casus suprâ enumeratos non polluuntur, ità neque reconciliatione indigēt. Similiter Ecclesiæ consecratæ, in quibus vigerunt hæreticorum exercitia, non sunt de necessitate solemniter reconciliandæ, nisi aliquo ex enumeratis sceleribus noscantur publicè violatæ, conveniens tamen est, ut eæ, priusquam divina officia ibi celebrentur, aspergantur aquâ benedictâ.

Q. 6. Qualiter ad celebrandum requiratur, & instructum esse debeat altare?

R. Ad celebrandum requiritur altare fixum aut portatile consecratum tribus mappis, lumine, Missali &

DE EFFECTIB. FRUCTIB. ET DEFECTIB. MISSÆ. 589
& cruce instructum. Explicantur singula

Dicitur 1. Altare *fixum*, quod est firmatum in Ecclesia, consecraturque, ut ibi firmiter persistat. *Portatile* seu *viaticum*, quod consecratur in hunc finem, ut ex uno loco in alium transferri possit, utrumque est sufficiens, ut in eo possit intrà Ecclesiam celebrari, modò sit lapideum (quia à tempore S. Sylvestri soli S. Pontifici reservatum est celebrare in altari ligneo, in quo S. Petrus obtulit) constans non ex duplici lapide conglutinato, sed ex uno tantæ magnitudinis, ut maxima saltem ex parte patenam cum calice continere possit, solent etiam in altari Reliquiæ Sanctorum esse reconditæ, an ex stricto præcepto vel ex decentia controversitur, interim servandus est usus Ecclesiæ, ut nunquam consecrentur altaria sine Reliquiis Sanctorum, pro quo S. Th. hic Q. 83. a. 3. ad 2. allegat cap placuit 26. dist. 1. de Consecr. *Placuit, ut altaria... in quibus nullum corpus aut Reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsent, si fieri potest, evertantur, & licet ibi videatur esse sermo de Aris Gentilium, attamen significatur, quod Ecclesia non consueverit altaria consecrare sine Reliquiis.*

Dicitur 2. Consecratum nempè inunctione Chrismatis & benedictione de Jure ordinario ab Episcopo, ex privilegio S. Pontificis etiam à simplici sacerdote facienda. Deperditur autem hæc consecratio: Imprimis fractione sigilli vel loculi illius, in quo Sanctorum Reliquiæ continentur, cum in cap. ad hæc 1. de consecrat. Eccles. vel Altar. statuatur: *Si altare motum fuerit aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus aut etiam diminutus, debet denuò consecrari, licet autem in hoc Cap. Tantùm dicatur, quod non fractione sigilli,*

gilli, sed lapidis superpositi altare execretur, attamen cum consecratio ex jure tantum positivo pendeat & communis sententia affirmet fractione seu motione sigilli Reliquias continentis altare execrari, credendum est, quod usu & consuetudine illud ita sit firmatum, ut pro lege servandum sit, etiam sine expresso textu. Deinde fractione vel tali diminutione altaris sive fixi sive portatilis, ut pars remanens calicem cum patena maxima ex parte amplius continere non possit; quia altaris nulla alia magnitudo est signata præter eam, quæ calicem cum patena continere possit, in dubio, an talis magnitudo adhuc sit sufficiens, illius judicium spectat ad Episcopum, licet autem aliqui velint per fractionem aut diminutionem cornuum remanente sufficiente parte reliqui altaris, altare execrari: eo quod in illis partibus facta fuerit Unctio & consecratio, attamen alii censent, tunc consecrationem remanere, ex hoc fundamento, quod ex consecratione cornuum consecretur totum altare, cujus consecratio tamdiu maneat, quamdiu forma altaris manet. Denique a motione lapidis à structura, cui est superstructus, execratur altare: eo quod solet eam intentione consecrari, ut stabile perseveret, hoc tamen non extenditur ad separationem, quâ separatur altare portatile à capsula lignea v. g. cui est inclusum: eò quod non sit par ratio. Execrato autem his modis altari non execratur Ecclesia, sicut è converso, nec execratà per destructionem parietum Ecclesiæ, altaria execrantur: eò quod distinctis consecrationibus consecrentur. Pollutà autem Ecclesià ut reconciliatione indigeat, etiam polluantur altaria fixa, & vicissim polluto altari fixo polluitur Ecclesia.

Dicitur 3. Instructum tribus mappis &c. requiruntur

runtur enim tres mappæ, quatum una longior sit & ad terram pertingat, duæ aliæ breviores seu una replicata ex præscripto Clementis VIII. in Missali à se reformato & S. Pii V. non est tamen opus, ut hæc mappæ sint benedictæ, licet ad usum profanum adhiberi non debeant, nisi fortè in necessitate lintea profana adhiberentur postea Domino pro suo usu reddenda. Debet prætereà altare esse instructum lumine, ex cap. fin. de celebr. Miss. lib. 2. tit. 41. ubi presbyter quidam graviter damnatur, quod sine igne sacrificasset, requiritur autem duplex lumen cerei; si celebrandi adsit necessitas excusatur sacerdos sine scandalo adhibens lumen olei, probabili- ter etiam ex eadem necessitate excusatur adhibens candelas ex sebo. Deinde debet adesse Missale, sine quo nunquam est celebrandum, quantumcun- que sacerdos memoriæ fidat, quia practicè lo- quendo sacerdos etiam Canonem firmiter memo- ria tenens, facilè turbari potest, ut nequeat Cano- nem integrè recitare sine Missali, undè verius vide- tur omnem sacerdotem graviter obligatum esse ad utendum Missali, propter periculum errandi, quod communiter subest. Denique debet adesse imago crucifixi, etiam si Venerabile Sacramentum sit pa- tenter expositum, nihilominus à latere locanda. Sine imagine Crucifixi celebrare nõ videtur culpam venialem excedere: Videtur enim esse materia levis.

Q. 7. Quæ vasa sacra ad celebrandum requi- rantur?

R. 1. Ad celebrandum requiritur calix cum pa- tena ex debita materia confectus, nempè ex auro argento vel stanno, ità Can. ut Calix 45. Dist. 1. de Consecrat. *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro omninò ex argente fiat. §. 1. Si quis autem*

tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat.

§. 2. *De ære aut aurichalco non fiat calix, quæ ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat.* §. 3. *Nullus autem in ligneo aut vitreo calice presumat Missam cantare.* Ex consuetudine tamen possunt calices (non tantum quoad pedem, qui ex ære ferro aliave materia confici potest) quoad cuppam, de qua præmissa intelligenda sunt, fieri ex ære vel cupro deaurato.

2. Debent calix & patena esse consecrata ab Episcopo vel alio habente privilegium sedis Apostolicæ; hæc consecratio perditur per fractionem aut talem diminutionem, ut non possit amplius inservire ad sacrificium, hoc autem ex communi DD. sententia fit, quando cuppa separatur à pede per fractionem (non autem per divisionem, si sit tornabilis) tunc enim si denuò conjungatur, eget novâ consecratione, uti etiam si de novo inauratur, non autem si inauratus calix paulatim perdat aurum, quia in priori casu accedit nova superficies auri non consecrati, quæ tamen debet immediatè tangere sanguinem Christi, in posteriori autem casu remanet id, quod fuit consecratum, siquidem non sola superficies auri, sed omnes calicis partes fuerunt consecratæ.

3. Addendum est calici imprimis corporale, quod debet esse benedictum ab Episcopo vel simplici sacerdote ex commissione summi Pontificis, in quo calix cum sanguine Christi & S. Hostia debet poni, & in ea parte quâ calicem & hostiam tangit, debet esse lineum, licet in extremitatibus possit esse sericum vel auro elaboratum. Deinde addi debet palla, quâ videlicet calix operiatur similiter benedicta, quæ olim erat pars corporalis, nunc est à corporali separata, debet autem ex illa parte, quâ cali-

calicem contingit esse linea, non serico vel auro elaborata, sine hac (nisi corporale esset ita oblongum, ut calicem operire possit) non licitè sub reatu peccati mortalis celebratur. Denique addendum est calici purificatorium, quod cum non tangat immediatè sacrum Sanguinem, nec ullibi præcipiatur, ut sit benedictum non ex necessitate, sed ex decencia tantùm debet esse benedictum. Sicut etiam sustinent multi de pixide sive ciborio, in quo sacræ hostiæ asservantur, quod non necessariò debeat benedici (Chrismatis inunctionem non requiri omnes admittunt) conformius tamen S. Th. hic Q. 82. a. 3. dicenti: *In reverentiam hujus Sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata.* Videtur, quod debeat benedici, cui accedit ratio, quod corporalia ob contactum corporis Christi sint benedicenda, & vestes sacerdotales benedicantur, & licet non inveniatur expressus textus, Reverentia Sacramenti illam benedictionem exigere videtur; possunt autem omnes, qui habent facultatem benedicendi omnia sacra ornamenta aliaque necessaria, in quibus non intervenit sacra Unctio, tales pixides benedicere, licet autem talis pixidis materia non sit designata, expediens tamen est, ut sit aurea, argentea vel stannea sicut calicis,

Quoad illos, quibus liceat sacra Vasa & corporalia tangere, hoc certum est, quod dum corporalia, Calix & patena continent Corpus & Sanguinem Christi, nemini præter sacerdotem vel Diaconum liceat ea contingere, ut ex Can. non oportet 26. Dist. XXIII. DD. communiter tradunt. Si verò non contineant actu Corpus & Sanguinem Christi, ab omnibus sacratis hominibus posse tangi deciditur in Can. in sancta 41. Dist. 1. de Consecr. ubi

habent,
que ob
provo-
calice
tamen
qui
uoad
fieri

ta ab
Apo-
onem
ius in.
i DD.
le per
torna-
novâ
, non
n, quia
on con-
ere tan-
remanet
sola lu-
unt con-

corporale,
vel sim-
ntificis, in
tia debet
im tangit,
s possit ef-
e addi de-
r similiter
nunc est
parte, quâ
cali-

ubi nomine sacratorum hominum intelliguntur sacro ordine initiati, ut patet tum ex usu & consuetudine, tum ex eo, quod sedes Apostolica soleat quandoq; concedere privilegium, ut ii, qui solis minoribus ordinibus sunt insigniti, possint sacra Vasa tangere, & de tali privilegio loquitur Canon non liceat 32. Dist. XXIII. (tale privilegium etiam concessum est mendicantibus, ut omnes, qui ex voluntate superioris funguntur officio sacristæ, licet nullo ordine sint insigniti, possint sacra vasa tangere, ac si sacris ordinibus essent initiati) tale autem privilegium ordinibus minoribus insignitis concederetur frustra, si omnibus ordinatis de jure communitalis contactus esset permissus.

Cæterum Clerici inferiores vel Laici seculo contemptu extra necessitatem vasa sacra seu corporalia tangentes ob parvitatem materiæ peccant tantum venialiter, alia autem ornamenta sacerdotalia, uti etiam corporalia & purificatoria post lotionem, Ciboria & Lunulam, quæ tantum benedicuntur, antequam attigerint sacras species, non autem postquam illas attigerint, licet laicis tangere.

Q. 8. Quænam vestes ad celebrandum requiruntur?

R. 1. Ad celebrandum requiruntur amictus, alba, Manipulus, Cingulum, stola & planeta seu Casula benedicta. Ut probatur ex Can. vestimenta 42. Dist. I. de Consecr. esse autem gravem obligationem his vestibus in sacrificio Missæ utendi, inferitur tum ex fine ob quem eadem ab Ecclesia præscriptæ sunt, mysticam videlicet significationem, quæ in illis vestibus repræsentatur, tum propter irreverentiam, quæ committitur contra tantum Sacramentum, undè nec ad præbendum infirmo viaticum, neque ut populus in die festo audiat Missam, licet

licet sine omnibus vestibus sacris celebrare, an autem liceat ad evitandam mortem secluso contemptu rerum sacrarum & legis potestatisve Ecclesiasticæ sine vestibus sacris celebrare, controversitur: fundamentum affirmantis sententiæ est: Quod præceptum affirmativum cum tanto damno non videatur obligare. Practicè verò illud vel nunquam vel rarò licitum esse potest: quia moraliter non coget aliquis sacerdotem ad celebrandum sine vestibus sacris nisi ex contemptu rerum sacrarum, tuncque propter Præceptum negativum nunquam cooperandi contemptui Sacramenti, potius moriendum, quam coactioni acquiescendum esset, aliquam verò ex minoribus vestibus omittere, quando magna adest celebrandi necessitas v.g. quia populus cum gravi scandalo & murmure aliàs carebit sacrificio, videtur esse licitum, ut si celebret sine cingulo, stola, vel manipulo, cum amictu alba & casula.

2. Harum vestium materia quoad amictum & albam est determinata, ut videlicet sint ex lino, cæterarum verò materia determinata non est.

3. Hæ vestes debent esse benedictæ ab Episcopo vel alio habente facultatem à summo Pontifice, non enim potest Episcopus dare hanc vestes sacras benedicendi facultatem. Retinent verò hanc benedictionem tamdiu, quamdiu non ità franguntur, ut desinant esse aptæ ad usum ad quem sunt destructæ, manentque sub priore figura; hinc si manicæ ab alba præscindantur, licet denuò assuantur, desinit alba esse benedicta, item si cingulum ità frangatur, ut neutra pars ad cingendum sufficiat, si verò reficiendo vestibus benedictis per partes fiat additio, tota vestis manet benedicta, idem est, si duplicatæ sint vestes ab interiori & ex-

teriori parte casulæ vel stolæ formam retinentes, hæ per separationem non perdunt benedictionem: quia retinent pristinam figuram & manent aptæ ad usum, ad quem benedictæ sunt.

4. Ex honestate & decentia celebrans debet habere pedes calceis vel crepidis indutos, licet de hoc nihil inveniatur expressè præceptum.

Q. Ultimò quâ necessitate in celebratione oportet adhibere ministrum?

R. Ex Cap. proposuit 6. de fil. Presbyt. lib. 1. tit. 17. in quo ita Alex. III. *Non solus presbyter Mis-
sarum solemnia vel alia divina officia potest sine mini-
stri suffragio celebrare; gravis est obligatio adhi-
bendi ministrum masculum, qui sacerdoti respon-
deat & seruiat, in Casu verò necessitatis poterit sa-
cerdos sine ministro celebrare, nunquam verò loco
masculi fœminam adhibere, quæ ministret ex cap.
inhibendum 1. de Cohabit. Cler. & Mul. lib. 3.
tit. 2. Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad
altare presumat accedere aut presbytero ministrare.*
Hæc de Dignissimo Altaris Sacramento, simulque
de tota Incarnationis, Baptismi & Confirmationis
materiâ ad Laudem Eiusdem, qui soli ho-
minum saluti eadem destinavit,
sufficiant.

F I N I S.



erinentes,
ictionem:
it apta ad

debet ha-
, licet de
n.
lebratione

byr. lib. 1.
byter Mi-
sive mini-
atio adhi-
ti respon-
poterit lo-
verò lo-
et ex cap-
ul. lib. 3.
cemina ad-
ministrare.
simulque
firmationis
soli ho-
it,



